



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De Verecundo Exordio. Cap. XLVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

apud seculi oratores, vt apud Isocratem in laudibus Helena, proœmium non cohercat illis, quæ tractanda sunt; id Christiano maximè cauendum est, cui de ostentatione ingenij & doctrina corā Deo ratio erit reddenda. Exordia esse instituta, vt auditores dociles, attenti, et beneuoli reddatur, omnes scripserunt. consequetur Ecclesiasticus orator, vt dociles auditores fiant, si ordine se dicturum, & argutas quæstiones omissurum, interdum pollicebitur. Attentos facillè efficiet, si dixerit, se de salute animarum, sermonem habiturū; & non quod homines, quorum proprium est labi & decipi, docuerint, sed, quod ipse Deus, aut Dei serui, diuino spiritu afflati, literis consignarunt, explicaturum. Beneuolos reddet, si neque inanis gloriæ cupiditate, nec auaritiæ, sed zelo Dei, & studio salutis auditorum munus dicendi eum sumpsisse, auditores intelligent. Verecunda debent esse proœmia, grauias & breuias; interdum ex abrupto exordium est. Sumuntur, vt in vniuersum dicam, exordiorum argumēta à re ipsa, à tempore, à loco, ab opinione populi, ab inopinato, à similitudine, à sententia scripturæ, seu ab historia, à typo, siue à figura veteris testamenti, ab eius persona, qui dicit, item ab auditorum, quorum omniū exempla, è patrum & doctorum Ecclesiæ scriptis sumi possunt: nos præcipuas quasdam exordiorum formas proponemus.

## De Verecundo Exordio.

## Cap. XLVII.

**V**ERECVNDVM Exordium, quod maximè clericos decet, & modestia Christiana, conditum est apud S. Gregorium Nazianze. in quadam oratione:

O s

fratres,

Fratres, inquit, orationem nostram accipite, quamuis minimam, & à dignitate procul remotam, sed tamen D. Deus iusto iudicio misericordiam expendere solet. Huiusmodi exordiū legimus etiā in oratione eiusdem, in plagam grandinis, quo vir ille admirabilis rogat patrem, qui aderat, ut ea doceat, quae ad consolandos homines pertinent. Simili exordio, praesente Episcopo, aut maioribus natu sacerdotibus, cum laude vii poterit Ecclesiasticus orator. Ut verecunda autem sint exordia, haec requiruntur, ut de seipso nunquam, aut raro, & si necessitas cogat, parcissimè se laudans, loquatur. Nam cum semper in proprio cuiusque ore laus sordescat, in ore Christiani oratoris, omnem adimit fidem. Item ut in principio orationis, humilitatem praeserferat. quamobrem dicet vocatum se à Deo, missum ad illud munus, non sponte tantam provinciam suscepisse. In vituperatione sui ipsius inest plerumque affectata quaedam humilitas, quae omnino est fugienda: Et quamuis S. Bernardus ita de seipso in exordio cuiusdam sermonis locutus sit. Ut autem à propheticis verbis incipiam; vobis mihi, non quidem sicut propheta, quia tacui, sed quia locutus sum: heu quot vana, quot falsa, quot turpia per hoc spurcissimum os vomuisse me recolo, in quo reuoluere diuina verba praesumo? vehementer timeo, ne iam iam audiam ad me dictum, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum in vanum? Non tamen ego crebro huiusmodi exordijs utendum duxerim

De graui & breui exordio.

Cap. XLVIII.

**G**R A V E debet esse proœmiū, praeclara aliqua sententia illustratum, proprijs verbis, & minimè ociosis, ex-